

# MERKVRYVSZ POLSKI EXTRAORDYNARYINY.

De Data 14. Martij, 1661.

*Zamykający w sobie  
Artykuły Seymu Siedmigrodzkiego.*

Articuli DD. Regnicolarum Transyluaniae, Anno 1660.  
die 24. Decembris, st. vet. in Oppido Szaszeregen  
tempore Electionis & inaugurationis Celsissimi Prin-  
cipis, Domini Ioannis Koemoeni, conclusi.

*Articulus primus.*



Conditiones ad quas obseruandas  
Princeps prædecessor Achatius Bar-  
czay, cum Iuramento sese obstrin-  
xit, in tenore & vigore suo perma-  
nent, quæ propter prolixitatem hîc  
omittuntur.

Ad tertiam tamen Conditionem,  
vbi scilicet Transyluaniae fædus, cum  
Imperatore Turcico antiquitus initu  
in toto obseruabitur, additum est:

*Ita tamen, si Porta Ottomanica ad manifestam Regni & Regnicolarum  
ruinam & excidium non intendat. Nam in tali casu Sua Celitudo om-  
nia oportuna remedia conseruationem Patriæ concernentia, possit liberè*

*adhibere. Ad decimam nonam Conditionem additum eſt: Occaſione ingressus Principis in Regnum, vel ante etiam, ſi qui aliquid commiſſiſſent contra Suam Celsitudinem, quia adhuc tandem tantis obligati- nibus & obſequijs non erant adſtricti, ideo Sua Celsitudo vindictam ſu- per eos non exerceat, neq; eos damnet.*

### Forma Iuramenti Celiſſimi Principis ad Conditiones eidem propositas, depositi & præſtitii.

**E**go Ioannes Koémöen princeps Transyluaniae, partium Regni Hungariae Dominus, et) Siculorum Comes, iuro per DEUM, qui eſt Pater, Filius, et) Spiritus Sanctus, et) in Sacroſancta TRINITATE unus verus Deus, quod ego uniuerſos Status et) Ordines Regni priuſ specificati, iuxta propositio- nes mihi pro nunc propositas, nullam innovationem contra vetera Iura, conſuetudines et) Priuilegia Regni introducam; imò quacunq; ad ſalutem et) legibus roboratam libertatem, af- flictæ Patriæ et) Regnicolarum ſpectare videbuntur, ea omnia pro posſe, et) iuxta vires meas aſſequi intendam cum Re- gnicolis. Sic me Deus adiuvet, et) ita mihi eterna vita lar- giatur felicitatem.

### Articulus Secundus.

**S**tatus & Ordines Regni iuramenta in Principem fidelitatis, quomodo deponant, ſuper eos statutum eſt: Ut qui in Diæta præſentes fuerint reperti, statim & de facto ſua homagia præſtent. Pro absentibus verò ſingulorum Comitatuum & Sedi- um Siculicalium, Officiales ad quindenam certas congregati- ones promulgabunt; in quibus ſinguli Regni libertate gauden- tes, ſub poena, contra huiusmodi contumaces, in præcedenti-

bus

bus Articulis pronunciata, iuxta Formam Iuramenti homagia præstare tenebuntur. Absentes autem Officiales coram personis ad id deputatis, iuxta receptum morem & ordinem sub eadem poena iurare debebunt.

### Forma Iuramenti.

**E**go N. Iuro per Dei mei Sanctissimam TRINITATEM & Individuam Unitatem, quod ego Domino meo Clementissimo Ioanni Kóémén Celsissimo Transylvaniae Principi, partium Regni Hungariae Domino & Siculorum Comiti, in tota mea vita fidelis & obediens, inimiciq; ipsius inimicus, Amici, Amicus ero, & nunquam clām vel palam contra Personam principatumq; Sua Celsitudinis aliquid practicabo, quin si alios quoq; huiusmodi cognoscere possem, vel in mea persona vel per alios Sua Celsitudini aperire haud negligam, iuxtaq; posse calibus resistere conabor; ita tamen, si Sua Celsitudo iuxta prelibatas Conditiones me reget & dirigeret. Sic me Deus adiuet, & ita addat eternam vitæ beatitudinem.

### Articulus Tertius.

**V**T à militibus Sua Celsitudinis Stipendiarijs & alijs etiam, in bonis & residentijs nostris pacati immunesque conservemur, seruorumque & hominum nostrorum cuicunque liber passus concedatur. Statuitur, accedente etiam Sua Celsitudinis annuentiâ, quatenus ijdem milites in certo loco collectur, neque exinde turmatim huc vel illuc discurrant, sed proprijs stipendijs viuant, alias secundūm edicta per suam Celsitudinem ipsis exhibita, contrauenientes compescantur.

*Articulus Quartus.*

**G**RATIOSÈ annuit Sua Celsitudo, quatenus Nobilium colognos fugitiuos sub Vexillis conscriptos, restituи debeat.

*Articulus Quintus.*

**C**Vm magno Reipublicæ detimento, experti sunt Regnico-læ, captiuorum Officialium Comitatuum, ac etiam aliarum Sedium officia, iam pridem vacasse; Quare statuitur vt eorumdem officia in integrum restituantur, de quibus Sua Celsitudo quantociùs prouideat, & vt in eliberationem huiusmodi captiuorum clemēter succurrere dignetur, humiles supplicant.

*Articulus Sextus.*

**I**Vxta priorem Articulum singularum trium Nationum huius Regni Sigilla restituantur, siquidem iam Articulis præcedentibus insertum sit: *Nationes singulas propria Sigilla habere debere, quibus literæ nomine Regni expeditæ ob-signenrur:* Cùm alias certum sit, ex priuatis ob-signationibus, varios defectus suboriri, de quibus conditi Articuli in eadem forma, ex benigna Suæ Celsitudinis annuentia confirmantur.

*Articulus Septimus.*

**N**ON negamus DEVM Præpotentissimum, propter innumerabilia delicta nostra, in annis proximè clapsis sub mutationibus Principum huius Regni, multiplices de merito nobis inflixisse poenas, vnde plurima inconuenientia & damnificatio-nes Regnicolarum subortæ sunt. Ne igitur eadē longo aliquo litis strepitū, verūm breuiori processu complangentur & terminentur, Articulum duodecimum Anni proximè præteriti in

Seges-

Se gesuar editum in suo vigore relinquimns; ita tamen, vt illi qui occasione expeditionis moderni Principis sese opposuerint, vel verò Prædecessori eiusdem Domini Principis seruire obligati fuerunt, in hoc articulo nequaquam subintelligantur. Sed qui ex suis domibus & residentijs, imo etiam extra suas residentias, nullam realem hostilitatem perpetrârunt, neque ullam occasionem & causam hostilitatis dederunt, nihilominus tām in personis, quām bonis suis damnificati sunt. Qui quidem articulus de verbo adverbū ad verbum ita se habet.

*Damnificati sunt plurimi in præsentibus turbis ac commotionibus Patriæ nostra, per certos homines, qui multorum innocentium bona vel in proprium commodum abstulerunt, vel alijs occasionem auferendi, administrârunt, quæ vt aliquo longo processu recuperentur indignum iudicamus. Qui igitur ad simplicem requisitionem damnificatum contentauerint, ab omni actione imposterum liberi sunt: Sin minus, damnificati vnumquemque damnificatorem ad suum forum competens, Comitatus videlicet & Sedis Siculicalis; Ciuitatenses autem (quia ipsi sibimes Iudices esse nequeunt) ad octauas Dietates in ius attrahant. Sed si priuata persona, cum aliquo ex Ciuitatibus causam haberet, ad suum forum prouocet, (pro parte Actoris admissa de lege Regni consueta appellatione, si ita eidem visum fuerit) præmissa citatione, abscissis immensis exceptionibus, & iuridicis remedij, vel si res ipsa minus lucide constaret vniea exmissionis extradatur & concedatur. Si autem bonorum ablationem nequè eorum restitutionem, quis non negaret, tunc è bonis eiusdem, absquè ullis exmissionibus, ad premium & valorem bonorum ablatorum, vel è manibus aliorum abalienatorum, Iudices damnificatum mox & de facto contentare debeant & teneantur. Idem etiam processus est obseruandus, ratione illorum, qui bona depradata scientes, cōemerint, aut alijs occasionem prædas exercendi administrârunt, si quidem in maleficiū consenserunt. Si causa Iudicialiter determinabitur, cum pœna temerè litigantium, & refusione expensarum contentetur damnificatus. Coloni autem, (ne processus hic & illuc distrahatur) in præsentiam Iudicium Comitatum, & Sedium citentur, ibidemq; ius & iudicium cum reali execuzione recipient.*

**Qui tamen hoc breui processu minus contenti; liberum illis erit, iuxta Articulos & Decretales Constitutiones recedere. Qui autem ex talibus, sub Vexillis Dni Principis reperirentur, Generales eorumdem Capitanei requisiti, adhibitis in revisione causæ Iurisperitis, Comitatuum, Sediumque Officialibus, & Assessoribus, eodem processu, Iudicium administrare teneantur, cum reali executione. Quodsi facere recusarent, Illustrissimus Princeps à parte lœsa requisitus, clementer plenariam satisfactionem demandare dignetur. Pari passu Magnates & Nobiles, pro parte suorum Scrutorum requisiti, Iudicium administrare tenebuntur, quodsi facere recusauerint aut neglexerint, Officialles Comitatuum & Sedium, cum duplo administrent executionem, ( hic tamen intellige Seruos residentijs carentes ) Qui autem solitas haberent residentias, contra eosdem de bonis proprijs procedatur. Quorum bona si pro plenaria executione essent minus sufficientia, tunc illi incaptiuentur, & tam diu donec damnificato satisfactum fuerit, captiui detineantur. Contra tamen eos, qui obsidiones passi fuere, idem Articulus non extendatur.**

*Articulus Octauus.*

**Q**via Status praesentis temporis requirit, ut omnes ordines libertate gaudentes, ad vnonem in approbata Constitutione expressam coniurent, statuinnus, vt praesentes in Diæta statim & defacto, absentes autem soluta Diæta ad Quindenam in publicis locis sedium iudiciarum, advnionem coniurare teneantur; Quorum nomina registrata in capitulis reponantur, & conseruentur: Posthabentium & negligentium Director Fisci habeat condignam rationem. Excepto autem moderno Principe nostro, nos nullis alijs obligatis agnoscimus & censemus; quin potius si quos Principes prædecessores, vel aliquæ priuatae Personæ reuersalibus vel Iuramento mediantibus, sibi obligassent, illos virtute præsentis statuti immunes & absolutos pro-

nunci-

nunciamus & mandamus, & ne hoc imposterum fiat, etiam à  
Principibus cauemus.

*Articulus Nonus.*

**M**ilites stipendiarios quot numero & quâ disciplinâ interte-  
neat Illustrissimus Princeps, submittunt eiusdem discretio-  
ni Regnicolæ.

*Articulus Decimus.*

**L**egationes ad vtrumque Imperatorem & alios Principes ex-  
pediendæ, committuntur industriae Celsissimi Principis.

*Articulus Undecimus.*

**D**onationes ab Achatio Barzaio emanatz, revisioni DD.  
Consiliariorum & Tabulæ Assessorum submittuntur à Re-  
gnicolis, quos fauente occasione sua Celsitudo conuocare ve-  
lit. Quipro publica necessitate ad aliqua bona & iura possessio-  
naria, summam pecuniæ exhibuerint, acceptabuntur. Immeri-  
tis personis donata bona, inualida censentur.

*Articulus Duodecimus.*

**P**Erceptores Regni ad 24. Februarij in Ciuirate Segeſuar  
comparerbunt, vbitribus Septimanis in publicis perceptioni-  
bus occupaturi, contributionem vnius talerū percepturi sunt.

*Articulus Decimus tertius*

**R**estantia quinquaginta & quinque florenorum ad manus  
Michaëlis Szanokesz sunt administrandæ Claudopolim.

*Articulus Decimus quartus.*

**A**D primam Martii Exactores omnes exacturi sunt pro ratione à Perceptoribus Regni exigenda: Ad Marmoros Georgius Erdeli denominatur.

*Articulus Decimus quintus.*

**C**ontributio Regni imposta ad singulas portas florenorum Quatuordecim in medietate ad primam Martij, in altera autem dimidiate ad primam Septembris, suppeditanda crit.

*Articulus Decimus sextus.*

**A**rticulos ab Anno Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Septimo editos & conscriptos, vt Magister Prothonotarius in feriem redigat, & in proximè sequenti Dixa producat, iniunctum est, vt qui ex illis Legales iudicabuntur, in vigore maneant; qui verò incommodiores videbuntur, aut tollentur aut meliorentur; Sed omnes illi sub nomine tituloque praesentis Principis emanent & confirmentur.

*Articulus Decimus septimus.*

**H**I quorum Reuersales in manibus alienis haberentur, exceptis Principibus, tencantur ad futuram Dixtam eas producere, & nullis imposterum Consortibus Principum Iuramento adhaereant.

*Articulus Decimus octauus.*

**I**N provisone munitioneque Sckelhit & aliorum Confiniorum, adhibenda cura & diligentia, submissa est iudicio & discretioni Illustrissimi Principis, & eidem adhaerentibus Consiliarijs.

**W KRAKOWIE, w Kamięcicy Szoberowskiej na Wendeście, dnie 14.  
Marcia, A. 1661. Cum Priuilegio S.R.M.**